

Johann Affelmann

**Prorector Academiae Rostochiensis Joannes Affelman S. Theol. D. Professor, ad
exequias, quas Foemina ... Anna Krauthoffs, Dn. Friderici Sandeheri & c. felicis
memoriae relicta vidua, filiolae suae defunctae, Annae moerens, ad d. 28. Aprilis
anni 1615. honestas parare constituit, Cives Academicos invitat**


Rostochi[i]: Pedanus, 1615


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771909837>

Druck Freier  Zugang



Affelman, J.
in
A. Krauthoff,
uxor. F. Sandeher.
Rostock, 1615.





Memorabilis est, & sapius in
 cruce cogitanda sententia,
 licet varijs interpretum in-
 iurijs obnoxia, psal. 68. v. 14.
 Etiam si jacueritis inter דַּבְּשֵׁוּ
 h. e. lapides focarios, ta men
 eritis sicut alæ columbarum tectæ argento
 & auro fulvo purissimo. Difficultatem hic
 parit, tum vox alarum columba, tum focario-
 rum lapidum, quorum nusquam, nisi hoc Psal-
 mi loco, & Ezech. 40. v. 43, in sacris mentio
 fit. Vnde & pro focarijs lapidibus, vulgata,
 Clerum, Oslander, terminos, Gesnerus, limi-
 tes, Junius & Piscator, strues lapideas, alij
 aliud, substituunt. Scire autem oportet, ad ve-
 rum loci intellectum, & generatim, Scri-
 pturam saepe Phrasibus suis ad historiam pro-
 fanam respicere, adeoq, quod Damascenus
 dicit, condescendere & speciatim, Babylonios
 Syrosq, omnes, inter cetera superstitionis sue
 numina, inprimis columbas albas coluisse, ita,
 ut religio esset, attingere. Certè ipsa Scriptu-
 ra hujus ritus meminit, etsi ob historia obliuio-
 nem

nem, non dicam ignorantiam, loca divinarum
librorum, qua hunc morem subindicare vi-
dentur, ad alias expositiones sacrarum litera-
rum interpretes, magnam partem, traxerint.
Persa quidem columbas albas ob leuca & lepra
odium abigebant & detestabantur, at Syri con-
tra, pro numine venerati sunt, ut Xenophon
in Cyro Juniore, & Lucianus in Dea Syria
scripserunt. Praeteris autem Syris Palæsti-
nae incolae harum cultores fuisse, Tibullus no-
bis ostendit, dum ita: Quid referam ut volit-
et crebras intacta per urbes, Alba Palæsti-
no sancta columba Syro. *Causam* rogas?
Diodorum Siculum facio respondentem, pro-
pter hoc Babylonios & Syros omnes colum-
bam consecrasset, quoniam crederent, Semira-
midem in columbam fuisse conversam, unde
factum sit, ut columbam Syri, ceu Deam, co-
lant, immortalem reginam arbitrati. Huc
quadantenus respexisse Davidem, non improba-
biliter dicitur, si ipsam occasionem dicti justo
astimes arbitrio. De argentatam columbam
Psalmes vocat, hoc est, albam, ut anserem vir-
gilius argenteum appellat, quem Lucretius

A 2

can-

candidum, ut Homerus & Hesiodus, Thetidem Deam argenteis commendant pedibus, cui candidos pedes Papinius & Alciatus tribuunt, ut Leander, apud Ovidium, cum Lunam dixisset candidam, paulo post, dicit argenteam. Quia verò non omnes albae columbae, sed ea solum, quibus auri pallore dorsi posteriora splenderent, aut quibus pennae albis alarum flavus auri intermicaret nitor, Semiramidisque monilia referret, ab Aegyptiis colebantur, ideo cum ceteri auctores indiscriminatim prodiderint, columbas sacras Aegyptiis pro numine fuisse, Tibullus solus, non omnes, sed albas ab eis cultas fuisse declarat; Sed neque omnes albas Psaltes, testis indigena Palestina, verum aureis maculis variegatas in religionem venisse, non sine aliorum historicorum suffragio, innuit. Pariter, ut apud Aegyptios, bos pro numine colebatur, non tamen indiscretè bos quilibet, ut quidam Postillatores mentuntur, sed cui insigne esset in dextro latere candidans macula, cornibus lunae crescere incipientis; & cui nodus sub lingua, quem Cantharum appellaverunt. Haec autem sunt illae columbae,
qua-


quarum plumas nullus Palaſtinorum evellere,
quarum pennas, nullus Palaſtinorum detrabe-
re auſus fuit, quin etiam, Luciano affirman-
te, ne tangere quidem fas habuerunt, ita, ut
ſi quando inviti eas attingerent, execrabiles
illo die haberentur. Hinc fit, quod Scriptura
Aſyrijs & Babylonijs frequenter columbas
attribuit, quod interdum appellatione co-
lumbæ Regem Babylonis, interdum ipſum po-
pulum Aſyrium, interdum Chaldaorum ve-
xilla, effigie columba inſignita, ſignificet, in
uno Propheta Jeremia. Quæ ipſa obſervatio
facit, ut locum Oſea cap. ii. v. ii, Avola-
bunt quali avis ex ægypto, non ſolum de ve-
locitate columba, ſed & indemnitate & di-
gnitate, de honore & reverentia, quibus ab
hoſtibus proſecuti & dimiſſi, interpreter. Al-
terum quod hic notandum, eſt, de lapidibus
focarijs. Exiſtimo enim uti Prophetam ibi loci
ſimilitudine, à lixis & calonibus deſumpta,
qui caſtra ſequuntur. Illi ut frigora & cæli
injurias quoquo modo pellant, noctu ſeſe inter
lapides focarios, ubi ignes foveri ſolent, ab-
ſcondunt, ubi pulvere, cineribus, fumo, & mul-


triplici commaculantur fuligine. Huc respiciens Psalter, Metaphoricis verbis, multiplicem piorum Christianorum crucem, & simul in cruce victorias describit; Hoc sensu: Etiam si perpetuo pijs belligerandum & excubandum, quanquam etiam cum lixis & calonibus, inter lapides focarios, cum fumo & fuligine omnis generis calamitatum decertandum sit, non quicquam tamen nigredinis vel atroris inde esse contracturos, sed tantam in medijs afflictionum caminis puritatem, elegantiam & protectionem futuram esse, ut & illo & isto & hoc nomine, cum columbis, quibus in purissima alarum albedine aureus commixtus fulgor pulcerrimè emicabat, conferripotint: hoc est, breviter dicendo, omnes afflictiones non tantum pios fortiter superaturos, sed & magnum inde sibi nomen & aeternam victoriam comparaturos. Idem omnino cogitandum venit egregia & omnium matronalium virtutum laude pradiata matrone, ANNÆ KRAVTHOFFS, Amplissimi viri DN. JACOBI KRAVTHOVII Consulis Neobrandenburgensis b. m. filie, Clarissimorum & Consultissimo.

simorum virorum CHRISTOPHORI &
HENRICI I. U. DD, DANIELIS, Se-
natoris Neobrandenburgensis prudentissimi,
& BERNHARDI civis ibidem primarij
germana sorori, qua non modo ante annum
23. Junij, maritum, virum optimum, & virtu-
te praestantissimum DN. FRIDERICVM
SANDEHERVM, celeberrimo loco & fami-
lia oriundum, Dicasterij Provincialis Ducum
Megapolensium Protonotarium, sed & nunc
ex eo susceptam filiulam, ANNAM, matris
^{δμάρτυρον}, 24 mensis currentis, ad superos pra-
emisit. Cogitabit illa subinde S Psaltris ex-
plicatum. Dicuntur in sacris, p̄y, Dei arbo-
res. Quidni ergo, ut melius crescant, magisq̄
fructificent, varias patiantur incisiones? Di-
cuntur Dei aromata Quidni ergo pistillo crucis
contundantur, aut igni accendantur, ut sva-
rem odorem spirent? Caterum hodie funus
fiet defunctae puella. Cui ut intersitis cives
Academici, Viri Reverendi, Clarissimi,
Consultissimi, juvenes doctissimi, eoque nomine
hodie hora 1. pomerid. in templo Mariano
conveniatu, & rogamus & monemus. Ubi
istud

istud cogitabitur, quod inculcarunt vetustiores
Patres: In Levitico praecepisse Deum, ut plu-
ma avium, quae illi in holocaustum offereban-
tur, projicerentur in locum, in quem cineres
effundi solebant, ad orientalem plagam. Aves
sumus nos, qui nos ipsos in holocaustum DEO
debemus immolare; Pluma sunt divitiae & va-
nitates mundi, has in locum cineris projicia-
mus, id est, mortem meditemur. Sic fiet, ut
tandem experiamur illud elegans Bernardi:
Bona mors justis, propter requiem: melior,
propter novitatem: optima, propter securi-
tatem. P.P. 28. Aprilis anni 1615.







quarum plumas nullus Palestino
quarum pennas, nullus Palestino
re ausus fuit, quin etiam, Luci
se, ne tangere quidem fas habue
si quando inviti eas attingerent
illo die haberentur. Hinc fit, qu
Ægyptiis & Babylonis frequen
attribuit, quod interdum app
lumbæ Regem Babylonis, inter
pulum Ægyptum, interdum Cha
xilla, effigie columba insignita,
uno Propheta Jeremia. Quæ ip
facit, ut locum Osee cap. II. v
bunt quasi avis ex ægypto, non
locitate columba, sed & indem
gnitate, de honore & reverent
hostibus persecuti & dimissi, int
terum quod hic notandum, est
focarijs. Existimo enim uti Prop
similitudine, à lixis & calonib
qui castra sequuntur. Illi ut fr
injurias quoquo modo pellant, n
lapides focarios, ubi ignes fove
scondunt, ubi pulvere, cineribus,

A 3

